

raliter, pro immoderata cupiditate habendi quodcunque bonum creatum; fuit enim nimis cupidus in appetendo illam, quod idem est. Sed proprie loquendo Luxuria importat quandam amorem concupiscentiæ, circa voluptates venereas, quibus animus libenter dissolvitur. Et quamvis actus volens in se consideratus sit naturalis; immo necessarius, pro conservatione speciei, sicut alimentum pro conservatione individuû; tamen in homine, qui vitur ratione, quoties fiet contra rationis ordinem erit peccatum mortale; tunc autem erit contra ordinem rationis, quando illo actu homo vitur non secundum finem, ad quem ordinatur a natura, & ab autore naturæ, ac etiam modo debito, & convenienti. Finis est procreatio prolis: Vnde per hoc, quod dicitur secundum finem, ad quem ordinatur excluditur omnis actus veneris, & carnalis qui sit extra intentionem procreandi filios; aut ex quo impeditur procreatio filiorum; modus debitus & convenientis est, ut homo utatur sua uxore, prout institutum matrimonium fuit a Deo, in principio mundi, in officium naturæ, & a Christo in sacramentum, id quod dicitur Matrimonium. Vnde per hoc excluditur omnis fornicatio, cum non sua vxore, quamvis sit actus naturalis, & ad prolis procreandæ finem intenta. Et quot sunt deformitates circa finem & modum vitendi hoc actu venereo, tot erunt species Luxuriæ distinctæ.

Hinc colliguntur istæ species, scilicet prima dicitur simplex fornicatio, quæ consistit in concubitu inter masculum & foeminam, qui sunt soluti. Dicitur (simplex) quamvis enim omnis concubitus vagus, qui extra matrimonium fit, fornicatio dicatur, tamen pro ista prima specie intelligitur illa, quæ simpliciter fit; id est, soluta ab omnia alia deformitate, quæ huic actui adiungi potest. Vnde per solum, & solutam, inter quos committitur simplex fornicatio intelliguntur, non solum, qui soluti sunt a matrimonij vinculo, sed etiam ab omni alio vinculo, scilicet a consanguinitate, affinitate, voto, religione, & ordine sacro, nam Clericus in sacris constitutus commiscens se, etiam cum meretrice, non committit simplicem fornicationem, sed sacrilegium, & respectu sui, denique ab infirmitate, non enim dicitur simplex fornicatio concubitus cum non baptizata.

Secunda. Dicitur Adulterium, quod est alieni thori violatio, ideo enim dicitur adulterium quasi ad alienum thorum accessio. 3. 1. q. 1. §. cum ergo, & est quadruplex, scilicet coniugari cum soluta, vel soluti cum coniugata, vel tertio quando ambo sunt coniugati, & hoc est grauius, violatur enim fides sui coniugis, & committitur iniuriam, abutendo rem proximi sui. Vnde I eo Papa dicit. Adulterium committitur cum proprie libidinis instinctu, vel alieno consensu, cum altero, vel altera, contra pactum coniugale concubitus, quarto ad adulterium reduci potest concubitus cum Religiosa, nam illa in professione sua, & multo magis in sacratione effecta est sponsa Christi spiritualis, per dedicationem virginittatis, quamvis magis proprie hanc reponunt in specie sacrilegij, verum omnis virgo, quæ per votum simplex suam uirginitatem Deo dicauit, vt B. Agnes, Christi sponsa dici potest, cuius thorum, uiolando, tanto peior adultera dicitur quando sponsus præstantior est, cui fidelem frangit.

Et de uida quid dicendum? Dico si consideratur in sua uidiuitate absolute: soluta est, dicente Paulo ad Corinthios, primo. Mulier alligata est legi, quanto tempore uir eius uiuit, quod si dormient uir eius, liberata est a lege, cui uult nubat. Et ad Roma. 1. Igitur uiuent uiro, uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro; si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est a lege uiri sui, ut non sit adultera, si fuerit cum alio uiro. De quibus, sic uiuentibus, ad Thimotheum cap. 5. sic ait, quæ in delicijs est uiuens, mortua est, & quamvis fecundum D. T. 2. q. 152. art. 7. ad argu. peccatum Luxuriæ in uida fit grauius, quam

Venerens  
actus ad qd  
a natura or  
dinatus est.

Matrimo  
nium a Deo  
in officium  
naturæ, &  
a Christo in  
sacramentum  
institutum  
fuit.

Species lu  
xuriæ forni  
catio sim  
plex.

56  
Adulterium  
quadruplex

Vidua in  
qua flecte  
ponitur.